



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 108. Chaldæ & Maronitæ in obsequim Eugenii Papæ reversi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

quo facto retractationis suæ sinceritatem plurimum commendavit.

Sæcul. XV.
A.C. 1445.

§. CVIII.

*Chaldæi & Maronitæ in obsequium
Eugenii Papæ reversi.*

Perseverabat adhuc Concilium Florentia Romam ab Eugenio translatum, in quo die septima mensis Augusti habita est Congregatio Generalis; adveniant quippe Chaldæorum atque Maronitarum Delegati, nimirum Timotheus Tharsensis Archiepiscopus, Metropolita Chaldæorum Cypri Nestorianus, & Elias Episcopus Maronitarum, Eugenio Papæ obedientiam professuri, seque Concilii judicio subjecturi. Condidit Papa decretum, in quo narrabat, quomodo post celebratam in œcumenico Concilio Florentino Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali unionem, ac Armenorum, & Jacobitarum reductionem, Andream Archiepiscopum Colossensem ad partes Orientis & Cypri Insulam destinasset, ut & Græcos ibidem degentes in suscepta fide confirmaret, & Hæreticos, quoscunque ibidem inveniret, ad veritatis semitam reduceret, præcipue vero Sectatores Nestorii, nec non Macarii, quorum prior purum hominem Christum asserbat, alter vero unicam in Filio Dei voluntatem profitebatur. Posthæc exposuit

An. 1445.

*Collect. Conc.
Labbe to. 13.
p. 1225.*

Sæcul. XV. posuit Papa, quod idem Archie-
A.C. 1445. piscopus tam strenue horum Hæretico-
 rum conversioni insudaverit, ut Timo-
 theum Archiepiscopum Tharsensem, &
 Eliam Episcopum Maronitarum cum u-
 niverso eorum clero, & populo ad re-
 ctam fidem perduxisset, adeo, ut hi duo
 Præsules solemnem professionem emissu-
 ri Romam accesserint. Nihil ultra Eu-
 genio deesse videbatur, quominus omnes
 Orientales ad sinum Ecclesiæ Romanæ
 redirent, quam ut ipsius decreta in ejus-
 modi partibus reciperentur. Ast in va-
 num tam pii Pontificis abiire conatus;
 hi enim sectarii ab eo tempore nec mino-
 ri pertinacia errores suos tuebantur, nec
 Catholicam Religionem nunc minori odio
 quam antea prosequuntur.

*Conc. Gener.
 ibid.*

§. CIX.

*Nicosiensis Archiepiscopus ab Euge-
 nio nominatus, sed a Cypriis
 repudiatus.*

*Bos. Histor.
 Rhod. tom. 2.
 l. 6.* **D**um interea Cyprii Hæretici in ipsorum
 Insula Pontifici obedientiam profite-
 bantur, ejusdem Insulæ fideles Christia-
 ni Eugenio parere reluctabantur, ac non
 modo Nicosiensis Archiepiscopatus pos-
 sessionem Galezio, cui eum summus Pon-
 tifex contulerat, denegant, sed etiam
 Nuncium ea de re ad illos a Papa missum
 in